

Lectionem Horatiani loci vulgatam

firmare conatur

G u s t a v u s S c h w a b ,

Gymn. Stuttg. Professor.

Od. I. 2, 35 — 40.

Sive neglectum genus et nepotes
Respicias auctor,
Heu nimis longo satiate ludo,
Quem iuvat clamor, galeaeque leves,
Acer et MAURI peditis cruentum
Vultus in hostem.

Lectio huius loci olim vulgata: „*Mauri*,” quam non dubitamus omnium esse, quot hucusque collati sunt, codicum manuscriptorum, quaeque etiam nunc subinde in novissimis Horatii nostri editionibus, licet minus feliciter, nostro quidem iudicio, defenditur, ad annum usque 1671. sollicitata non fuit. Sensere tamen plerique commentatorum difficultatem quandam in explicanda voce, nec illam facile quisquam praeterit, quin ullo modo in interpretando, vel potius excusando vocabulo desudaverit.

Primum erat, ad quod animum attendebant, ipsa militis *gens*, cuius fortitudinem Marti tam gratam poeta nobis describit, coeptumque est quaeri, cur *Maurum* Horatius potissimum nominaverit. Itaque antiqui iam Scholiastae *Acron* et *Porphyrion* (citamus *Fabricianos* ex editione *Henricopetrina* anni 1588.) curavisse videntur; ne lector in *Mauro* illo, quasi inopportune oculis oblato, haereret; quorum alter, *Acron*: „*Maurum*, inquit, *alusive* posuit, pro quocunque hoste;” alter, *Porphyrion*: „*Mauri*, pro cuiuslibet accipit *bellicosae gentis viro*. *Speciem enim pro genere* posuit.” Neque Scholiasta

Cruquianus aliter (sub oculis sunt editiones Cruquianae annor. 1578. et 1597.): „*Maurum pro cuiuslibet bellicosae gentis viro ponit, speciem pro genere.*”

Editores Horatii, ex quo ille typis mandari coeperat, in hac Grammaticorum explicatione non acquievere, plura addentes, dum in „*pedites*” Mauro stupent. Ex illis, quorum commentarios inspicere nobis licuit, primus Antonius Mancinellus¹⁾, Italus, multae lectionis vir, post repetitam Scholiastarum sententiam, rem ex antiquitate illustrandam suscipit, dicens: „*Mauri . . . pugnabant frequentius ab equo hastati; equis nudis utentes, et iunceis fraenis; gerebant etiam gladios. At pedites elephantum pellibus pro clypeis se protegebant, leonum et pardalium, et ursorum pelles induebant, et dormientibus sternebant. Auctor est Strabo lib. XVII.*” [cap. 3. ed. Casaub. p. 569.].

Loco hoc Strabonis post Mancinellum Cruquius etiam usus est (edit. 1578. p. 10.) qui „*ad truculentiam pedites Mauros induisse leonum, pardalium et ursorum pelles*” credit. Ita et *pedes Maurus* et *Mauri acer vultus* illustratus est ex Strabone, quem post secula etiam in partes vocavere Klotz (vindic. Horat. p. 77.) et nuperrime vir clariss. F. H. Bothe in repetita Feae editione (ed. prior. annotatt. p. 9.).

Ceterum Mauro *acrem* illum *vultum* iure a poeta tribui docet Lambinus ex loco bene appposito Aeliani, quem illi „*Ios. Scaliger iuvenis eruditissimus*” indicaverat. „*Per acrem, ait, Mauri peditis vultum, ἀνδρικὸν, id est, virilem, et quasi trucem significat. Taleis autem vultu atque aspectu Mauros fuisse tradit Aelianus his verbis: Εἰσὶ δὲ Μαυροῦσιοι καὶ καλοὶ καὶ μεγάλοι, καὶ ἀνδρικὸν ὄρωσι.*”²⁾ (Ed. Lambini Wechel. Francof. ad M. 1577. p. 11.)

1) Utimur editione Veneta anni, ut videtur, 1492.

2) Neque Lambinus, neque qui post illum huius loci testimonio usi sunt, librum Aeliani, ex quo desumptus est, indicat. Extat autem in Aeliano *de animal. Nat.* L. XIV, cap. 5. ed. Conr. Gesner. p. 289.

Denique post **Torrentium** (cuius copia nobis non fuit) a **Bondio** (edit. Schrevel. Lugd. Bat. 1663.) locum Horatii nostrum ad *historiam* referendum esse notatum est. „*Notum enim Iubae Regis adversus Caesarem bellum, et quanto Caesarianis terrori fuit eius exercitus, de quo Suetonius, Caes. c.XVI.*”³⁾ Simul de Iugurtha cogitare; e. g. Iuvenicius, qui: „*de Mauris, inquit, hoc in loco praecipue meminit, quorum fortitudo in bellis recentibus contra Iugurtham et Iubam etc. perspecta fuerat.*”

Sic locus ab omni parte videri poterat illustratus, cum paucis verbis inopinatas illi turbas movit vir in emendendo audax, **Tanaquil Faber** (Hor. Op. Salmar. 1671.), qui in „*notulis*” suis ad nostrum locum: „*Emenda, inquit, Marsi. Nam Mauri imbelles: olim correctionem probabo.*” Probatur mors supervenit (12. Sept. 1672.). Neque soceri promissum **Dacierius** absolvit, licet in hanc Fabri sententiam concesserit, dum **Torrentii** opinionem refutare conatur, qui ad Iubae Mauretaniae regis bellum contra **C. Iulium Caesarem** alludere poetam contendit; cui **Dacierius** hisce verbis adversatur: „*Horace n' étoit pas assez méchant Courtisan pour renouveler une chose qui ne pouvoit être qu'odieuse. Il faut nécessairement lire Marsi: comme dans les vieilles éditions.*” (Oeuvres d'Horace par **M. Dacier** et le père **Sanadon**. Amstelod. ap. **I. Wetstein** et **G. Smith**. 1755.)

Sane coniectura sic temere posita tam alta **Horatio** nostro vestigia non impressisset, nisi acutissimum disertissimumque patronum esset nacta **R. Bentleyum**, qui, severe vituperato **Dacierio**, quod in vetustis editionibus extare **Marsum** addiderit, de qua lectione nihil **Bentleyo** vel legendo vel fando

3) Cum **Caesar** h. l. *decem legiones* Iubae tribuat, licet augendo numerum imponere voluisse militibus suis ex ipso **Suetonio** appareat, tamen illa quam iniicit, *legionum* mentio probabile facit, non sperendam *perditum* manus **Mauris** adfuisse, quod in usum vertere licebat commentatoribus, qui **Maurum vere perditum** nostro loco vindicant **Schw.**

sit compertum, — nihilo tamen secius emendationem istam *certissimam esse* affirmat, refragantibus licet omnibus libris et scriptis et editis.

Integram Bentleii notam afferre libet, suppressis tantummodo scriptorum veterum, quos ille transscribit locos, praeter duos vel tres; sic enim palam fiet, quanto acumine alienum commentum firmare et, ut unice verum plerisque videretur, vir in arte critica summus efficere potuerit:

„Militis, Bentleius ait (edit. Amstelod. 1728. p. 7 — 9), „haec descriptio est, et *Fortis et Peditis*, et *Cominus stabilis*, „*que pede cum hoste pugnantis*. Tria haec plane indicantur his „verbis: „*Acer peditis vultus in hostem cruentum*:” quorum ne „unum quidem *Mauris* convenire iam tibi ostendam. Principio multum abest, ut hi fortes haberentur; utpote Hispanis „et Gallis, nedum Romanis, virtute inferiores. Hirt. B. Afr. „6. Liv. XXIII. 26. Neque vero *Pedites* Mauri ullo in numero erant; *Equitatu* solo valebat ea gens; nec *Cominus* denique vel iusta acie pugnabant, sed *Eminus* et Parthorum fere „more statim refugientes, ubi iacula semel emiserant. Val. „Flacc. III. 587. Hirt. c. 7. 97. Tac. Hist. II. 58. Claudianus „de bello Gildonico v. 432. sqq.:

Nec vos, barbariem quamvis collegerit omnem,
Terreat. An *Mauri* fremitum raucosque repulsus
Umbonum et vestros passuri *cominus* enses?
Non contra clypeis tectos galeisve micantes
Ibitis. In solis *longe* fiducia telis.
Exarmatus erit, cum missile torserit, hostis.
Dextra movet iaculum; praetentat pallia laeva.
Cetera nudus *Eques*. Sonipes ignarus habenae
Virga regit. Non ulla fides, non agminis ordo.
Arma oneri, fuga praesidio.

„Qui quidem locus vel unus rem totam conficit: cum et *imbelles* fuisse Mauros testatur, et ex *equo* pugnare solitos, telisque *eminus* missis continuo in *fuga* praesidium quaerere.

„Et praeterea, cum Horatius haec ita coniunxerit,
 Quem iuvat clamor, *galeaeque* leves,
 Acer et Mauri peditis cruentum
 Vultus in hostem,

„ut plane *Peditem Galeatum* ⁴⁾ intelligi oporteat; miles ille
 „*Maurus* omnino sine galea pugnam inire solet, ut docet te
 „idem iste locus.” (Hic Bentr. addit Sil. X. 605.)

„Denique, ut condonemus haec omnia, demusque tibi,
 „et *Pedites* fuisse Mauros, et *Fortes*, et *Cominus* et *Galeatos*
 „in acie pugnasse; quorum nihil est verum: stultissimus ta-
 „men omnium foret Horatius, si virtutis hic militaris exem-
 „plum de *Maura* gente petiisset. Quippe acri illo Mauri pe-
 „ditis vultu *Martem iuvare* dicit: eundemque *auctorem* Romu-
 „lae gentis hic memorat, atque *genus* suum ac *nepotes* diu
 „neglectos tandem *respicere*. Quid ergo? an Mars ille tandem
 „suis propitiatus *Mauri* virtute delectetur? At quibus tandem
 „cum hostibus conflictati sunt Mauri magis quam Romanis?
 „Ergo ille hic *cruentus hostis*, et a Mauro confossus ac tru-
 „cidatus, erit demum Romanus. Meliora vero, o Noster;
 „atque apage tam indignam et in *nepotes* et in *auctorem* con-
 „tumeliam. Illene ut ullius magis gentis quam virtute Italâ
 „iuvetur?”

„Recte itaque repositum est, Marsi, qui miles Italarum
 „omnium fortissimus semper est habitus. Strabo V. [cap.
 „4.] p. 241.: *ΜΑΡΣΟΙ καὶ Πέλιγγοι, τὰ ἔθνη ταῦτα μικρὰ*
 „*μὲν, ἀνδρικότατα δέ.* Appianus Bel. Civil. I. [cap. 46. fin.]
 „p. 659. de *Marsis* verba faciens: *Ἔστι γὰρ τὸ ἔθνος πολε-*
 „*μικώτατον, καὶ φασὶ κατ' αὐτοῦ θρίαμβον ἐπὶ τῷδε τῷ*
 „*πταίσματι γενέσθαι μόνῳ· λεγόμενον πρότερον, Οὔτε κατὰ*
 „*ΜΑΡΣΩΝ οὔτε ἄνευ ΜΑΡΣΩΝ γενέσθαι θρίαμβον.* Pro-
 „verbii loco fuisse ait, Neque de *Marsis* neque sine *Marsis*
 „triumphum agi posse.” (Addit Bentr. Virg. Georg. II. v. 167.
 Horat. Carm. II. 20. III. 5.)

4) Hoc argumentum ita conclusum iure exagitat b. I a n i ad n. I.

Non mirum est recentiorum interpretes haud paucos tam splendidis viri summi argumentis obsistere non potuisse et ivisse in sententiam Bentleii, Zurckium, Sanadonum 5), Gessnerum, Wakefieldium (1794.), et nostrae aetatis viros clarissimos, Mitscherlichium, Döringium, Bothium, alios.

Attamen plures his defendere prius vulgatam aut certe retinere sunt ausi. Quorum e numero Alex. Cuningamius, notus quidem ille internecino in Bentleium odio, lectionem *Marsi* simpliciter enumerat in „*pravis doctorum hominum emendationibus a Bentleio in contextum immissis aut in Notis probatis.*” (Animadv. in Horat. Bentl. Cap. VII. Edit. Londin. a. 1721. p. 61.) Qui locus, pariter ac textus Hor. Cuningamianus, erroris arguit Ianium, qui inter fautores lectionis „*Marsi*” falso Cuningamium quoque posuit (Hor. Iani T. I. p. 25.). Baxterus, ne is quidem aequus Bentleio: „*Marsi*, ait, *pro Mauri nulla cum auctoritate a doctissimo Bentleio ponitur. Credibile mihi videtur Maurorum, barbarae gentis nomen, fuisse terribilius, quam Marsorum, vicini et socii populi. Quin potius nominaret externam gentem, quam Italianam in tali materia.*” Male quidem hic. Veri similia asferre visus est, qui Gessnero quoque, quamvis a lectione Bentleiana stanti, dubitationem denuo iniecit, Ioh. Frid. Christius, „*qui Maurum equo deiectum desperate pugnantes pingi arbitratur.*” Huic defensionem accessisse video Interpretes Germanicos, Ramlerum, qui „*und des Mauren grimmiger Blick auf seinen blutigen Sieger,*” et Vossium, qui „*und der Maur' gaußoß,*” parum eleganter hic, verterunt.

Vulgatam porro retinere, nulla addita interpretatione, Bodoniana, Oberlini, Vanderbourgii, Feac, denique nuper etiam Iaeckii, Zellii et Iahnii editiones.

5) „Les Maures n'ont jamais eü cette reputation, et les auteurs nous en donnent une toute autre idéc.”

Vehementer dolemus, neque Klotzii vindicias, neque Aristarchum Antibentleianum Johnsonii ad manum nobis esse; ii enim prolixissimam coniecturae Bentleianae refutationem continere narrantur. Nunc, cum Chr. D. Ianii ex his potissimum fontibus fluxisse videantur animadversiones, hunc pro illis audiamus. „Elegans, inquit, et valde „probabilis coniectura! Sed ut omnibus codd. neglectis *Marsos* in contextum reciperem, impetrare a me non potui. „Nam neque Mauri ita imbelles fuerunt, nec voluit poeta, „puto, fortitudinem omnino pingere, sed universe scenam aliquam bellicam; quod vel *galea* et *clamor* docent: ac talem „quidem picturam prorsus pulchram et vividam Maurus praebet. Tum neque *galeae* ad *Maurum* referendae, neque hostem *cruentum*, confossum explicare oportet. Denique cum „Marsi milites *omnes pedites* fuerint, timendum forte, ne illud „*peditis*, *Marsio* adpositum, frigeat (nam ne ornat quidem), „cum *Mauro* adiectum plane graphicum sit.” Haec Ianius in elencho critico. In adnotationibus, post aliorum observationes congestas, addit: „Praeclaram picturam vel potius figurarum complexionem (gall. *groupe*) sistit locus. Romanus „eques *Maurum* opprimit *peditem*, h. e. qui vel de peditatu est, „vel equo deiectus, et sic pedes. Hic repugnans, *in hostem* „*cruentum*, ferocem, iratum, desuper imminentem, obvertit „*vultum acrem*, truculentum, desperationis ac furoris plenum, „quo illum confodere vellet. Talis vultus Marti suavissimus! — „Forte e pictura quadam duxit poeta hos versus” cet.

Audiendus denique F. H. Bothius, vir clarissimus, qui lectionem *Marsi* in repetita Caroli Feae novis curis editione (annotatt. p. 7. sqq.) etiamnunc tuendam suscepit. Nam, postquam Christii rationem, qui Maurum ab equo excussum, itaque factum peditem, interpretatur, ut longe petitam et vix latinam explosit: „Recte itaque, ait, Tan. Faber legendum „coniecit *Marsi*, eamque lectionem merito accessivere Dac., Ed. „a Zurck, Bentl., San., Mitsch. Quorum Eduardus a Zurck

„(Harlem. 1696.), Harlemensis olim scholae rector, suique vir
 „iudicii et candidus: „„Fide, inquit, ant. codd.” (quos mi-
 „„nimum 4. eum usurpasse ex praef. intelligitur) „repositi
 „„*Marsi* pro *Mauri*. Illi enim optimus Romanorum peditatus
 „„erant: Virg.: Hinc genus acre virum Marsos etc.” Mauri
 „fere imbelles; et fac terribiles aliquando visos fuisse Roma-
 „nis Iugurthae et Iubae exercitus (vidd. Klotz l. l. et, quos
 „laudat, Suet. Caes. 16. Flor. 4, 2. Oros. 5, 15. p. 322. edit.
 „Havercamp.): tamen quaero cum Zurckio: quorsum tam in-
 „grata hic revolverit: quaero cum Bentleio, Romulae auctor
 „gentis quomodo possit fieri ut Maurorum, Romanis infestissi-
 „morum, fortitudine iuветur. At quinam, inquis, isti antiqui
 „codd. Eduardi a Zurck 6), vel quatenam edd. veteres, in
 „quibus ita legi dicit Dac.? Nescio; sed vel sine libris *Marsi*
 „reponendum esse aio, cum praesertim tanta sit in Mss. s et
 „r litterarum similitudo, ut verisimile fiat, per oscitationem
 „alicuius librarii primum exaratum fuisse *Marri* (pro *Marsi*),
 „deinde accessisse correctorem, qui pugnasse se ratus sit re-
 „ponens, quod in isto latere sibi persuaderet, *Mauri*, ut
 „nunc fere legitur.”

Habes, candide lector, historiam loci et utriusque lectionis testes si non omnes, certe satis locupletes, quorum ne in controversia tam gravi fastidium tibi forte moveat inductio, non vereor.

Superest, ut nostrum tibi *ἔρμαϊον*, cuius ope statutum de re diu dubia, et stabilitum iri confidimus lectionem olim vulgatam, et omnium codd. auctoritate firmatam, laeti communicemus.

6) Certus sum equidem, Zurckium, si in *suis* codd. lectionem *Marsi* invenisset, dicturum fuisse: „Fide *meorum* codd.,” et in loco tanti momenti accuratius hos ipsos codd. descripturum. Nunc, nisi plane fallor, ille, memoriae quodam lapsu, de *editionibus* istis *vett.* Dacierii, his quoque sine dubio ficticiis, locutus est. Sch w.

Nam nos cum neque temere sic *Maurum* pro quovis *victore*, Horatium, qui vere poetam singulis fere, quotquot eius habemus, versibus sese probavit, dicturum fuisse, neque si *Maurum victum* et *Romanum* enunciare voluisset *victorem*, tam ambiguis id verbis declaraturum fuisse nobis persuaderemus, nec se lectio *Marsi* ex solo Fabri ingenio nata, et — quidquid nobis afferant fautores eius recentiores — nulla sane codd. veterumque edd. auctoritate firmata, ullo modo se nobis tanquam Horatii genuina commendare posset, olim iam suspicabamur, alludere vatem hoc loco ad *certum* aliquod *factum*, quod sive per scriptores, sive oculatos per testes traditum Horatii tempore omnium in ore fuerit, sed nunc sane oblivione tectum, post tot doctissimorum virorum curas, qui unius huius loci causa omnem antiquitatem perscrutati sunt, detegi non iam possit.

Veniebat quidem in mentem locus Livii vexatissimus (Liv. XXII. 51. §. 9. ed. Drakenborch.), ubi ille, stragem Romanorum ad Cannas, spectantibus etiam hostibus foedam, describens narrat: „*Praecipue convertit omnes substratus Numida mortuo superincubanti Romano vivus, naso auribusque laceratis: quum, manibus ad capiendum telum inutilibus, in rabiem ira versus, laniando dentibus hostem exspirasset.*”

Attamen tria erant, quae dissuadebant, ne id, quod Livius h. l. narrat, ante oculos versatum Horatio crederem; primo quod ille *longi nimis* illius *ludi*, i. e. bellorum civilium, de quibus manifesto nostris in versibus sermo est, scenam nequaquam repraesentat; deinde quod sic Bentleii et Bothij dubitatio, quomodo Mars, Romanos tandem respiciens, *hoste* Romanorum gaudere dici possit, integra maneret; denique quod Horatii certe aetate *Mauri* ac *Numidae* situ non modo distincti, sed etiam diversissimi erant populi (cf. Strab. XVII. 3. sqq.), vix ante Claudii Caesaris tempora confundendi, ita ut Horatium pro *Numida Maurum* dixisse vix statuendum sit. Itaque de loco Livii ad nostrum locum adhibendo desperavi-

mus, aliis istum sive explicandum relinquentes, sive sanandum, si quidem, uter utrum dentibus laniaverit, Numida Romanum, an Romanus Numidam, adhuc sub iudice lis est (cf. Stroth. ad loc. Liv. laud.).

Sed ecce alia omnia cogitantibus nobis obtulit se locus fato quodam a doctissimis illis omnium seculorum interpretibus versuum Horatianorum praetermissus, obtulit se in illo ipso Appiano, imo in ipso illo Appiani *de bellis civilibus libro primo*, quem pro *Marso Fabri* in testimonium adhibuit Bentleius.

Narrat enim nobis Appianus (de bell. civ. I. 50.), eodem illo *Marsico* bello seu sociali, „cum *Lucius Cluentius*, sociorum dux in Campania, non nisi trium stadiorum intervallo a Romanorum duce *Cornelio Sulla* prope Pompeios oppidum in montibus cum exercitu collocato, castra sua audacter posuisset, indignatum Sullam, ne exspectato quidem frumentatorum suorum reditu, impetum in hostem fecisse. Sed tum quidem fusum fugatumque Sullam. Receptis tamen frumentatoribus iterum commisso proelio pulsum Cluentium retro movisse castra. Cui cum *Gallorum* manus se coniunxisset, denuo contra Sullam in aciem processisse.”

Sed nunc ipsum Appianum audiamus (ed. Schweighäuser. Vol. II. p. 71.): Ἀφικομένων δ' αὐτῶ (Cluentio puta) Γαλατῶν, αὐθις ἐπλησίαζε τῷ Σύλλα. καὶ συνιόντων τῶν στρατῶν, Γαλάτης ἀνὴρ μεγέθει μέγας προδραμῶν προὔκαλεῖτό τινα Ῥωμαίων ἐς μάχην. ὡς δ' αὐτὸν ὑποστάς ΜΑΥΡΟΥΣΙΟΣ ΑΝΗΡ ἧ βραχὺς ἔκτεινεν, ἐκπλαγέντες οἱ Γαλάται αὐτίκα ἔφηνον etc.

Non nego me, cum in hunc locum forte fortuna et, ut dixi, alia omnia quaerens incidissem, exsultasse prae gaudio, sic *totam rem* uno quasi ictu *confici*, — libet enim cum Bent-

7) Cave distinguas: *Μαυρούσιος* aut *Μαυρουσιώτης*, ἀνὴρ βραχὺς. Nam plane ut Appianus, loquitur etiam Aelianus de Animal. Nat. III. 1.: *Μαυρουσίω δ' ἀνδρὶ ὁ λέων καὶ ἑδοῦ κοινωνεῖ* etc.

leio loqui, — ut nullum omnino dubium reliquum fiat, quin hoc nobis spectaculum plane historicum repraesentare egregiâ versuum istorum. picturâ voluerit vates. Sed propius quaeso ad rem accedamus, et in mediam nos quasi aciem, Appiano ac mox Horatio nostro duce, conferamus.

Spectamus itaque unam e *primis longi* illius *ludi* scenis, quo multis demum lustris post satiatum fuisse auctorem gentis Romanae Martem Horatius affirmat. Imminent *nepotibus* Dei terribiles illae gentes finitimae ius civitatis nimis diu negatum armis repetentes. Iam Servilius Proconsul cumque eo Fonteius legatus et plurimi Romanorum Asculi in oppido agri Piceni interfecti (App. lib. I. 38.); iam a Vettio Catone (seu Scatone) L. Caesar (qui falso Sextus audit ap. App. I. c. 41. et saepius), iam Perpenna a P. Praesenteio fusus; iam oppida Aesernia, Nola, Stabiae, Minturnae, Salernum, multa alia capta aut sponte iuris hostium facta (l. l. 41. sq.); Rutilius Consul et Q. Caepio insidiis oppressi (c. 45.), L. Caesar denuo fusus (c. 45.) ab Ignatio; et Marsi illi a Mario et Sulla percussi quidem, sed non subacti et post stragem ipsam indomiti (c. 46.). Pompeii ipsius et L. Caesaris laetior fortuna, sed fluxa (c. 47. 48.). In altera Italiae parte Etrusci non nisi civitatis dono in societate Romana retenti (c. 49.), et dum Pompeius Italos vincit, alter Consul Porcius Cato in proelio contra *Marsos* caesus. Iamque in eo erat, ut summus ille Romanorum dux, Cornelius Sulla, tum temporis integer scelerisque purus, succumberet, iam Cluentius, non nisi post victoriam victus, cum Gallis, antiquis nominis Romani hostibus, instat, et plane ut quondam in agro Pomptino (Liv. 7. 25. sq.), „Gallis procedit magnitudine insignis, et” — eo usque in contentum venerat Romana virtus — „unum ex Romanis provocat, qui ferro secum decernat.” Ubi nunc alter Torquatus? Erat sane quod nepotibus et generi timeret auctor Mars, qui e coelo *ludum* spectabat. — Sed ecce vir MAURUS (ne dubita; nam *Μαυροῦσιοι ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων λεγόμενοι, Μαῦροι ὑπὸ τῶν Ρω-*

μαίων καὶ τῶν ἐπιχωρίων vocantur teste Strabone I. XVII. c. 3.), vir itaque *Maurus*, ne magnae quidem, quales vulgo erant illius gentis homines (cfr. Aelian. loco a Lamb. laudato), staturae, sed brevissimae, *Romanus* idem, quippe Romanis in auxiliis militans, *omisso equo*, quo solo valere Mauri putabantur, nam et Gallus pedibus, non equo vectus, processerat (*προδρομῶν* ait Appianus) — *pedes* procedit, et (vix dictu credibile) immanem illum hostem (*μεγέθει μέγαν*) singulari certamine inito, Mauris inusitatissimo, vincit, obtruncat, *cruento* insistit, *ἀνδρικῶς ὄρῶν* (Aelian. I. I.), *acri illo vultu*, quem in Mauris, aliâs hostibus, cognoverant Romani. Confusi miraculo rei fugiunt Galli; ipsum Martem de sublimi spectantem

— iuvat clamor galeaeque leves

Acer et Mauri peditis cruentum

Vultus in hostem.

Habes omnia, quae fastidiosissimus interpretum desideraverit: *Maurum*, eundem *Romanum*, *peditem*, *victorem*, qualem *acer vultus* indicat; ex altera parte *hostem* Romanorum (non socium rebellem, sed vere hostem, Gallum), victum, *cruentum*; denique *clamorem* pugnae, si requiris, et *galeas* pugnantium.

Praeterea maius videbitur *Mauri* nostri facinus, dignius, quod Horatiana Musa aeternaret, si cogitabimus, illud potissimum fuisse fortunae Romanae in bello sociali quasi cardinem. Ex eodem enim Appiano deinceps videre licet, ut Cluentius, fugientibus Gallis, solutis ordinibus Nolam confugerit, Sulla in ipsa fuga *triginta* hostium *millia* et sub Nolae moenibus alia *viginti millia*, in quibus Cluentium ipsum, trucidaverit (I. I. c. 50.). Exinde bellum levius factum, et socii alii post alios arma posuere, recepti tamen, cuius causa bellum illud moverant, in Romanae ius civitatis (App. I. I. c. 51 — 55. inclus.).

Quis porro tam egregium factum Horatii temporibus quasi recens omnium oculis observatum fuisse, dubitaverit?

Cadit illud, quod ex Appiano patet, in annum aerae Varro-
nianaë 665., Cn. Pompeio Strabone et L. Porcio Catone Coss.;
Horatius natus est eiusdem aerae anno 689. Effluxerant tunc
i de a Mauri facinore anni non plus viginti quatuor. Itaque
Horatius, antequam Romam a patre portatus esset (cfr. Serm.
I. 6. 76.), poterat, puer annorum septem, Venusiae, quod
oppidum belli socialis non fuerat expers (cfr. App. l. I. I. 42. fin.
52. fin.), a veteranis sive sociis sive Romanis, qui rei ipsi inter-
fuerant, nunc sexagenariis, poterat a talibus Romae, poterat
ab ipso praeceptore suo, plagoso isto Orbilio (cfr. Ep. II. 1.
70. sq.), qui persenex erat et olim miles equo meruerat (Suet.
de illustr. Gramm. c. 9.), rei illius memoriam cognoscere; nec
dubium, quin, quo tempore Horatius oden nostram compo-
suit, i. e. anno urbis 731. vel 732., scriptores priorum tem-
porum et belli socialis sive „Marsi duelli,” cuius Horatius
etiam alio loco meminit (Od. III. 14. 18.), extiterint, factum
illud fusius enarrantes, quam epitomator serioris aevi Appia-
nus; ut vel ex annalium scriptoribus idem illud carminis
egregii non ultimum decus arcessere potuerit poeta.

Illud magis mirum videri possit, quomodo Beattieio,
viro doctrinae incomparabilis, qui Appiani hunc eundem li-
brum pervestigaverat, ut de Marsis opportuna, et coniectu-
rae, cui favebat, congrua deprehenderet, Mauri nostri faci-
nus ignotum manere potuerit, praesertim cum uterque locus
et de *Marsis* (I, 46. fin.), quo gloriatur, et de *Mauro* (I, 50.),
quem ignorat, *non plus centum lineis*, alter ab altero di-
stans inveniatur. Itaque vel, cum semel in idoneum sibi le-
ctionique suae de Marsis illis locum incidisset, non ultra pro-
cessit in legendo, vel (si fas est coniecere) legit ille quidem,
sed, compendii causa, legit in versione Gelenii latina, satis
illa eleganti, sed nostro scilicet loco parum fideli; nam ex
Mauro illa fecit *Numidam*; unde, si hac usus est Beattieus,
fieri potuit, ut transmitteret locum nihil de Horatio nostro
cogitans, nihil de *Mauro* ne suspicatus quidem.

Utut est, Bentleius, si esset, concederet *Mauro* palmam, confiteretur victoriam nostram, qui, de quibus ille ex Appiano triumphatum nunquam fuisse praedicat, hoc certe loco, eiusdem Appiani auxilio, de *Marsis*, nullo sane nostro merito, triumphavisse nobis videmur.
